

D 6
T O T T V S M O R B I
T E M P O R I B V S

E D E C R E T O
G R A T I O S A E F A C V L T A T I S M E D I C A E
I N R E G I A F R I D E R I C I A N A

P R A E S T D E
D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME

M E D I C . P R O F . P V B L . O R D I N .
E T A C A D . I M P E R . N A T V R . C V R I O S . S O D A L I

P R O G R A D V D O C T O R I S
R I T E O B T I N E N D O

D. XXI. DEC. C I C I O C C L X X I .

P V B L I C E D I S P V T A B I T T

A U G S T O R

J O H . C H R I S T I A N B E C K A R D T
H A L E N S . M A G D E B U R G .

H A L A E
L I T T E R I S N E N D E L I A N I S .



I L L V S T R I S S I M O
A C A D E M I C A E C O R I T T A M
E X C E L L E N T I S S I M O : D O M I N O
D O M I N O
C A R O L . I O S . M A X I M I L I T
T I B E R O B A R O N X
D E F Ü R S T
E T K U P F E R B E R G
P O T E N T I S S I M I B O A V S S O A V M R E G I S
S T A T U S E T I V S T I T I A E M I N I S T R O A C T U A L S
S T A T U V M R E G I O A V M
O M N I V M Q V E P R O V I N C I A R V M

C A N C E L L A R I O S V P R E M O
a c b o d r a

HOC

ACADEMICVM S C R I P T V M

VENERABVNDVS

D. D. D.

T A N T I N O M I N I S

DEVOTISSIMVS CVLTOR

IOANNES CHRISTIANVS BEICKARDT.



S

§. I.

Totius morbi tempora quid?

Dum is, qui accidit homini, morbus definitos suos emeritur limites: tempus quoddam, plus minus extensum, praeterlabitur. Id in alia, eaque, ob insigniores scilicet, quae contingunt, morbi vicissitudines, clara (1), interualla diuisum, *tempora morbi* definit, quae *vniuersalia* aut *totius morbi* vocare solent, ut nempe *vroque* nomine simul innuant, esse adhuc ea ab his diuersa, quae ad singulas tantum morbi accessiones spectant atque *particularia* dicuntur (2). Ratio temporum totius morbi constitutio morbi salutatur (3).

§. II.

(1) GALENV de morbor. tempor. cap. 1. qualis res, inquit, aetarum differentia animantibus est, talis res morbis sunt tempora. — Neque enim tempus simpliciter hoc vocabulo significatur, neque conueniens illud, in quo praesidia etiam consideramus, sed tantum morborum aetas, ut diximus, quae temporum vicissitudine immutatur, ut animal actuibus.

(2) GALENV de crisib. libr. 1. cap. 2.

(3) GALENV l. m. c. cap. 4. quod quidem, inquit, morborum constitutiones quandam veluti eorum formam nominat (scil. HIPPOCRATES),

A

se.

2

§. II.

Temporum totius morbi recensio.

Temporam totius morbi quatuor quidem meminuit HIPPONCRATES. Liceat nobis, in tanta cum huius rei claritate, tum locorum, quae excitari possent, vberitate, eum modo afferre, qui praestare nobis caeteris videtur. Dixit ergo (4): *continua quibusdam, ubi incepit, floret et viget maxime et in grauius tendit, circa iudicium vero in ipsoque iudicio extenuatur. Nonnullis vero leniter ac latenter incipit, increscit autem in dies exacerbaturque, sed sub iudicium in ipsoque iudicio abunde emicat. Eft ubi ex moderatis initii augescit et exacerbatur, et simulatque aliquantis per vigorem acceperit, ad iudicium usque sub ipsumque iudicium rursus se remittit. Atque haec in omnem febrem omnemque morbum cadere solent.* Censuit itaque HIPPONCRATES, omnem solere morbum incipere, increscere, vigere et decrescere. Atque EVM plurimi sequuntur. CELSVS, qui non pauca HIPPONCRATIS loca latinitate donavit suaque fecit, haec, quae diximus, morborum tempora commemorat (5). Neque GALENVS, doctrinae HIPPOCRATICAE tenax, de via, quam trivit HIPPONCRATES, deflexit (6). Videri quidem posset, ac si is nec sibi ipsi satis, nec HIPPONCRATI consentiat, quando, de particularibus tertianae temporibus, nimis forte, ut saepe solet, subtiliter disputans, sex meminit temporum, initii nempe, *inaequalitatis, aequalitatis* (incrementi), vigoris, decrementi atque *integritatis*,

*secundum quam ex talibus et tantis constitutis uniuersalibus temporibus, minima quispiam comprehendenter coniectura — manifeste ostendit, se qualemunque ex totius morbi temporibus compositionem morbi constitutionem nominare. Vid. etiam FOESIT Oeon. HIPPONCR. ad voc. *natura*.*

(4) Epidem. libr. I. sect. 3. pag. 965. edit. FOESIL.

(5) Libr. III. cap. 2.

(6) v. g. *de totius morbi tempor. cap. 1.*

tatis, quae etiam, si modo ab eo, quod integratatis dixit, recesseris, singulis febrium continuarum accessionibus, in tractationis progressu, accommodat (7). At enim vero excusat haec facta esse iudicio. Placuit enim G A L E N O , qui, quod fateor doleo-que, sophistae hic personam agit, tempus cum incrementi, tum decrementi ea ratione dirimere, ut quidem illud vel inaequalis, vel aequalis incrementi esse censeat, in hoc vero accessione vel de-crescat solum, vel plane definit. Factum inde, vt, his subtilitatibus auspicato supersedens, quatuor modo accessionum tempora recenset (8). Quod vero ne quidem omnibus, qui quondam vixerent, medicis quatuor ista totius morbi tempora probata sint, vel G A L E N V S nos docet. Nonnulli, inquit (9), vigorem viuum esse tempus dicunt, quod intellectu solo deprebenditur; alii vigor-rem, ut in synochis, non esse uniuersum: alii vigorem ad breue adeo principium reducunt: alii in his non solum, sed etiam in reliquis omnibus morbis principium auferunt: quidam interim et declinationem tollunt, si morbus ex abscessione, ut illi dicunt, sol-lutus sit. Licet demum praestantissimi nostrae aetatis medici utilem H I P P O C R A T I S ET G A L E N I de totius morbi temporibus doctrinam sequantur: e re tamen medicae artis fore censuit Z E-V I A N I , si, missis ipsis, aliud longe maioris dignitatis considere-tur, cuius tantam, quantam meretur, rationem minime habui-sent veteres, quodque p r i m u m t e m p o r i s i n t e r u a l l u m vocauit (10). Atque ab eo sermonis initium caperem, nisi veterum nobis doctri-

A 2

na,

(7) *de morbor. tempor.* cap. 4. seqq. Cae, existimes, haec H I P P O C R A-T I C A E doctrine contraria videri non posse, cum ad particularia tantum morborum tempora spectent. Quot enim accessionum, tot sunt tempora totius morbi.

(8) v. g. *de crisiib. libr. III. cap. 4.*

(9) *de totius morbi tempor.* cap. 1.

(10) Seviani neuendicte Quellen von den Prognostiken, Leipzig, 1760, pag. 16.

na, vt clarissimi scilicet viri sententiam suas ad rationes reuocare possumus, praemittenda esset.

§. III.

Principium morbi.

Non immerito sibi GALENV S videtur THESSALVM vituperare, cui quidem placuerit ea, quae reprimunt, in morborum principiis commendare, neque tamen, quo pacto quispiam principium cognoscat? definitire, cum hoc non parvum habeat dubitationem⁽¹¹⁾. Moner etiam⁽¹²⁾, morbi principium statuere conueniens non levioris esse negotii. Digna itaque haec res est, quae paullo exactius indagetur. Principii autem morborum duo sunt, de quibus hic differendum, extrema aut termini. De eius initio ordinar.

§. IV.

Initium huius temporis.

Solent morborum plurimi ante, quam erumpunt, prænunciis quibusdam suum aduentum signis annunciare. Atque ea in plures morbos cadunt. Vigilant, cibos fastidiunt, capite granuantur, segnes et ad motum pigri sunt, toto corpore lassitudinem sentiant, aliaque id genus infinita patiuntur plurimi aegrotaturi. Atque haec adueniunt primo modice, verum semper augescunt magis⁽¹³⁾. Quae, quando in quopiam obseruamus, dicere solemus, eum male se habere. Iam vero sunt, qui, ab ingressu eorum signorum, initium morbi definitiunt. Quod autem egregie falsum est. Nonne enim absconum est, si quis vellet morbum acutissimum longioris durationis concipere? Et tamen tenentur hi, quorum sententiam ad examen reuoco, istiusmodi acutissimos morbos fingere, cum in vulgus notum sit, eos, qui incident demum in

acu-

(11) *de crifib. libr. I. cap. 4.*

(12) *de dieb. decretor. libr. I. cap. 6.*

(13) *GALENVS de dieb. decret. I. m. c.*

acutissimos morbos, diu sese quandoque male habuisse. Neque minus rationi repugnaret, si quando meum in vrbe quadam aduentum definiens, id plane tempus designarem, quo aliam reliqui. Quod vero maxime oportet istos rationi consentaneum habere. Ut enim tendere ad locum sese habet ad id, quod aduenire ad locum dicimus, sic signa praenuncia sese habent ad praesentem morbum. Intelligitur quoque, quod, quando principium morbi (e.c. peripneumoniae) in quaestione venit, vox illa morbi minime idem significet, ac vocabula laborare, aegrotare, aegritudo, aduersa valitudo (das Nebelbefinden, Nebelaufseyn), quibus commode vtimur, quando de morbo indefinito sermo est, sed potius morbum definitum (peripneumoniam) spectet. Atqui morbus, quando signa eius praenuncia comparent, licet aegrotet homo (er befindet sich nicht recht), nondum tamen adest. Quo ergo pacto eius, nondum praesentis, initium cogitari possit? fateor omnino me perspicere non posse. Morbi etiam repente quandoque subitoque adueniunt (14). Numquid illi forte initio destituuntur, cum symptoma nullum praecedat? Medicorum denique sapientiores et principes toti ab ista sententia absunt. Dixit HIPPOCRATES: *lassitudines sponte natae morbos PRAEVNCIANT* (15). Debuisset sane, illi opinioni addictus, dicere: DESIGNANT (16). Morbi initium, inquit GALENVS (17), tempus illud ipsis putandum est, cum MANIFESTO FEBRICITARE INCIPENTES decubuerint. Non enim idem sunt capitis dolor et febris,

A 3

sicut

(14) GALENVSI. c.

(15) Aphorism. II. 5.

(16) de HAEN rat. med. VIII. pag. 74. Seviani l. c. pag. 31. Conf. quoque aegrorum historiae, quas in libr. Epidem. consignauit HIPPOCRATES, manifesto scilicet docentes, quod GALENVS adhuc affirmit, HIPPOCRATES non ubi primum capire doluit aeger, sed cum primum febricitauit, morbi initium constituisse. Vid. HAEN l. c.

(17) l. m. c.

sicut nec vigilia et cibi fastidium, et totius corporis grauitas, vel lassitudinis sensus; verum singula haec, diuersa quaedam a febre existentia febrem denunciant — **HIPPOCRATES** enim — non ubi primum capite doluit, sed cum PRIMVM FEBRICITAVIT, morbi initium constitueret. Forte tamen de veritate magis defletunt, qui principium morbi decubitu aegri dimetiuntur. Quot enim aegri numquam decumbunt! Addi possunt, quae pulchre notat **GALENVS** (18). *Vbi iam decubuerit, inquit, non morbi, sed decubitus esse principium.* Quin etiam, quod fortiores quidam sunt, malique patientes: item quod continentur a quodam in civili actione, longiusque eunt et procul a domo deducuntur, atque ob alias huiusmodi caussas possit quis nondum decubere, sed male affectus quidem esse: si sane mollis quiesciam animo, imbecillis, timidus, et de qualibet leui caufa suspiciosus, statim decumbit. *Cuius igitur decubitus morbi initium putandus, nemo facile innoverit.* Neque umquam **HIPPOCRATICA** mens fuit, ut crederet, posse, ex decubitu aegri, principium morbi definiri. Toties enim hominum meminit, qui aegri non decumbant, sed in erectum stantes diuexabantur (19). Vox praeterea decubere IPSI in vsu est, quando de his, qui graui morbo laborant, loquitur (20).

De-

(18) l. m. c.

(19) *Epidem.* libr. I. pag. 938. 945. 944. libr. III. pag. 1089. 1111. vbi **APOLONIVS** occurrit, qui diu rectus et obambulans morbum sustinuit.(20) **POESIVS** in not. ad libr. I. *Epidem.* pag. 939. Quandoque quidem, nisi fallor, illud decubere sic usurpat **HIPPOCRATES**, ut eo initium morbi indicet. **HEROPYTHVS** v. g. *rectus et obambulans ex capite doluit, NEQUE VERO MVLTO POST DECUBVIT.* Is habitabat ad superiorem tractum; febris erat ardēns, acuta (libr. III. *Epid.* pag. 1106). Innumera tamen alia **HIPPOCRATIS** loca suadent, verbo *decubere EVM* complecti illa: *EX FEBRE*, quae verba aut similia ipsis plerumque addidit, non additur certe, cum adeo sit breuitatis studiosus, si *decubitus aegri ex initium febris IPSI* eadem essent. **PHILISCVS** primo die dicitur

CV-

7

Denique **GALENVS** monet (21), **HIPPOCRATEM**, morbos
cum in erectis et stantibus, tum in decumbentibus obseruantem,
eodem de ambobus dies decretorios pronunciasset. Quibus ergo
sententiis explosis, quo demum tempore morbus incipiet? Eo sa-
me, quo primum definitus quidam morbus adest. Perspeximus
enim, **HIPPOCRATEM**, cum quis primum febricitauit, morbi
initium constituisse; **GALENVM** quoque asseruisse, illud tempus
mor-

CVBVIT EVMQVE FEBRIS ACVTA PREHENDIT (*Epid.* libr. I.
Aegr. 1.); **CRITONI** erecto et obambulanti pes vehementer dolere ex
pollice coepit, eodem die **DECVBVIT** CVM HORRORE et stomachi fasti-
dio aliquantulum **INCALCENS** (l. c. Aegr. 9.); quidam in **Dealcis**
hortis decumbens ex leui occasione VEHEMENTI FEBRE CORKEPTVS
DECVBVIT (*Epid.* libr. III. sect. I. Aegr. 3.); EX PHRENITIDE labo-
rans primo die **DECVBVIT** (l. c. sect. 2. Aegr. 4.); **APOLLONIVS** ali-
quantulum primum **INCALVIT**, **DECVBVIT** (l. c. Aegr. 13.); adole-
scens quidam longo tempore **INCALVIT ET DECVBVIT** (l. c. Aegr. 16.).
Quam itaque primo loco excitaui **HEROPYTHI** historiam, oportet nos ea-
ratione explicare: **HEROPYTHVS** de capitis dolore conqueri coepit, non
multo post graui febre correptus evestum se sustinere non potuit, erat
autem ea febris ardens, acuta. Neque licet nunc eo loco sic abuti,
vt **HIPPOCRATEM** censeamus, ex aegri decubitu, morbo initium consti-
tuisse. Sed oportebit nos istam sententiam eo magis amplecti, quo minus
aegrotorum historias perlegentem latere potest, **HIPPOCRATEM**, de ini-
tio febris differentem, *rariissime* solitus aegrorum decubitus mentionem in-
dicere, *frequenrissime* vero febris, omiso decubitu, meminisse (*Epidem.*
libr. I. aegr. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. libr. III. sect. 1. aegr.
1. 2. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. Sect. 2. aegr. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 14.
15.). Qui haec perpendit, intelliger, quare dixerit **GALENVS**: morbi
initium illud ipsis putandum est, cum **MANIFESTO FEBRICITARE**
INCIPENTES DECVBVERINT.

(21) I. m. c. Quando vero plane iidem dies decretorii, in aegros cum ere-
tos, tum decumbentes, cadunt: non potuit sane **HIPPOCRATES** initium
morbi ex decubitu definire.

morbi esse initium, cum manifesto febricitare incipientes decubuerint (22).

§. V.

(22) Videri quidem posset, ac si vox ista: DECUBVERINT, innuat, GALENVM arbitrari, tunc denum morbi esse initium constituendum, quando quis non modo manifesto febricitare incipit, sed etiam decumbit. Cui vero sententiae partim ea, quae in eodem cap. leguntur, aduersantur, parvum nexus verborum repugnat, qui quemcumque facile docet, GALENI sententiam eo vergere, quod decubitus aeger non nisi tunc sit incipientis morbi signum, quando manifesta febris signa simul comparent, quodque haec non ille initia morborum prodant. Reste itaque ZEVIANI negavit, GALENVM initia morbi tempore, quo primum decubuit aeger, dimetiri; minus autem bene iudicat, GALENVM censuisse, ex illo en tempore morbo constitui debere, quo aeger onus grauans quam maxime sentit (wenn er die Last, welche ihn beschwert, am deutlichsten fühlen kann). Non nego, potuisse in eam sententiam, quae sequuntur, GALENI verba clarissima, virum adducere. Finge enim, inquit, si voles, latere nos quoque acutae febris initia, sed miraver, si diutius hora aegrotantem, licet omnino sensus expers sit, larverit. Quodsi autem IPSI placuerit, id assertum pauclo accuratius perpendere: totus, arbitror, ab ea sententia absenser. GALENVS enim l. m. c. de febribus tantum acutis loquitur; poterat etiam eorum consideratione contentus esse, cum in eo occupatus sit, vt commonistret, posse nos eorum morborum, in quos decretorii dies cadunt, initia, tanta, quanta opus est, certitudine cognoscere, notumque sit, illos in febribus tantum acutis expectari. Quod vero hisce modo febribus tribuit GALENVS, non oporet nos statim eo torquere, vt id omnibus eis in morbis adsignasse iudicemus. Neque res ipsa permittit, vt ZEVIANI sententiae calculum adiciamus. Verba ita: am deutlichsten fühlt, praegressum sibi quid vindicant, quocum sensatio, quam nunc percipit aeger, conferri queat. Nonne vero repente quandoque morbi incident? Quam facile praeterea, ea sententia admissa, initium morbi cum morbo magis magisque incremente confundi posset! Incrementem enim morbum, maxime vero in statu constitutum, incipiente manifestius sentit aeger. PHILISCVM febris acuta prehendit, postridie ingraucentibus omnibus (HIPPOCR. Epid. libr. I.

§. V.

Initii morborum diagnosis et anamnesis.

Incipientis itaque morbi notitia habetur, quando primum signa definiti morbi essentialia in conspectum prodeunt. Arque ideo si magnus, si acutus morbus aegro accidat, vel praesente medico, vel, eo etiam absente, aut aegri ipsi aut adstantes accurate possint, quae primum comparuere, phaenomena, enarrare initium morbi vix ylli erit dubitationi subiectum, sique quis forte incidat error, is certe tanti esse nequit, ut in rationem veniat. Monuisse mihi haec G A L E N V S videtur, quando febris, inquit, inuadens, maximeque acuta, neque nos, neque idiotam quemlibet latere potest. Finge autem, si voles, latere nos quoque, sed mirarer, si diuinus hora aegrotantem, licet omnino sensus expersa sit, latuerit. Putemus itaque, inuasisse hora decima, sit autem verum initium, quod non decima, sed hora nona contigerit. Quid hoc ad dies decretorios? In hoc artis medicae opera nimis, ut vides,

libr I. aegr. 1.). Quonam die febris incepit? Postridie sane onus grauans manifestius sensi aeger. Narrat G A L E N V S (de tot. morb. tempor. cap. 6.): scirrhosus tumores subinde in cruribus conspexi statim ab initio, sine inflammacione, constitutos, tribus interdum et quatuor annis paulatim augescentes, sine manifesto necessariarum cruris actionum impedimento; temporis autem processu, propter magnitudinem conspicuam, postea incessui quoque molestatos. Numquid recte dici potest, post quatuor decimum pluresque annos eos scirrhos incepisse? Id absolum sane esset. Attamen eo demum tempore maxima aegri senserunt incommoda. Denique eam sententiam amplectentes oportet nos, quod ad initia morborum speeat, quam frequentissime aut errare aut dubios haerere. Numquam enim facile definiri tempus poterit, quo aeger sua, quae patitur, incommoda quam maxime sentit. Plura certe in eam sententiam dici possent, iis vero non opus est. Forte etiam omnis ad impropiam Z E Y I A N I dictionem error redit.

des, pereunt, quod aegrotantium nonnullos hora una latuit -- Iam quidem morbi principium medicis facillime cognoscitur (23). Sed tamen diffidendum minime, obuenire quandoque obscura morborum initia. Id quidem facile ferri posset, quod leuissimi plerumque morbi sensibus fere nostris, suam ob paruitatem, subducant. Eos enim nec dignoscere, nec curare dignantur medici (24). Minus quidem bene plurimorum, qui longi sunt, morborum principia ignorantur; iis enim intellectis, exactius sine dubio tempus, per quod durant, quoque soluuntur, definire possemus. Longe autem malignius caremus quandoque exacto morborum acutorum principio, cum id tanti sit, in formanda prognosi, momenti. Medicus plerumque aegro; morbum acutum parturienti, non adstat; neque semper contingit, ut eius nobis morbi principium, ex aegri aliorumque narratione, imnotescat. Non raro apud multos, potissimum plebeios, contingit, ut, seu ingenio, seu morbo stupidi, ignorent qua die, qua diei hora primam morbi experientur insultum, et ut, quotiescumque de integro examinenter, vacillent. Vbi nunc ab eorum consanguineis necessariis id rescire non datur, res dubia manet. Dantur numero plures, qui initia morbi excole teneant, sed ubi dubitus, utrum cum incommidis principio perceptis acuta, qua laborant, febris una ceperit, an vero accesserit postmodum (25). Quibus in casibus interdum rigorosius, quod a prudenti medico instituitur, examen tenebras quantacunque ratione dispellit. Redeunt sane eo omnia, quae verbosius tradit de HAEN praecepta (26). Suedet enim, ut, in dubiis hisce casibus, HIPPOCRATEM imitemur; ecclivis ideo libr. Epidem. multa excitat loca, quae docere nos iudicat, qua demum methodo febris acutas initia cognoverit.

Quae

(23) I. c.

(24) GALENVS I. c.

(25) de HAEN I. c. pag. 74.

(26) IDEM I. c. pag. 74. seqq.

Quae vero clarissima eorum sunt, id vnicē euincunt, **HIPPONCRATEM** non ex signis praenunciis, sed ex manifesta febre, primum comparente, febri initia sua constituisse. Atque id **GALENVS** iam edixerat. Interea accidit quandoque, vt ne ea quidem sollertia methodusque sufficiant. *Difitendum non est, dubium superesse nonnumquam tale, vt incertitudo per totum morbi decursum persueret, nec morbus ad demonstrationem regularum hippocraticarum vlo modo sit accommodandus* (27). Iudicabit forte quis, posse nos, vt morbi tunc principium inueniamus, decretoriis diebus vti. Quando enim dies 4. 7. 11. 14. 17. 20. decretoriorum praecipui sunt: recte quidem conicere possumus, id, quod obseruatur, iudicium in acuta febre, cuius initium in dubitationem venit, incidisse in vnum alterumue dierum, quos dixi. Ex eorum numero is iam erit decretorius constiuentus, cui dubia aegri alio rumque commemoratio maxime responderet atque natura morbi (28). Quo itaque inuento initium morbi definitur facile. At enim vero ea methodus, omissis aliis multis magnisque, quibus premitur, difficultatibus, ideo certe nemini arridere potest, quod maximam illam, ob quam ista, quae in inueniendo morbi principio versatur, indagatio instituitur, utilitatem tollit. Ea enim spectat ad decretorios dies, qui, vt accurate definiantur, morborum sibi initia cognita vindicant.

§. VI.

Finis principii. Initium augmenti.

HIPPOCRATES, cuius certe viri ingenium longe extitit subtilitatum nugis, vmbriticorum hominum deliciis, superius, numquam, quantum scio, illius meminit principii morbo-

B 2

rum,

(27) IDEM l. c. pag. 78. 79.

(28) **HIPPOCRATES** Epidem. libr. I. p. m. 964. *Quae paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorum autem exacerbationes in imparibus sunt, in imparibus iudicantur. Confer. Cope demonstr. prognost. HIPPOCRATIS pag. 58.*

rum, quod IN DIVISIBILE dixerunt EIVS aetatem sequentes medici. Eo felicet nomine istud ipsis venit principium morbi, quod in exakte primo morbi insultu, omni latitudine destituto, consistit (der erste Augenblick einer Krankheit) (28*). Quod ergo, cum nec ipsum sensibus usurpari, nec vicissitudines morbi declarare, nec eius medelam dirigere queat, nostra omnino indagatione est inferius. Celebrius est nomen PRINCIPII SECUNDVM LATITUDINEM (der Anfang einer Krankheit), cuius HIPPOCRATES mentionem, plus vice simplici, iniicit; quodque ex EIVS doctrina, monente GALENO, ad tertium in acutis quartumue diem pertingit (29), cuius nos tamen rationem habere non possu-

(28*) GALENVS de crifib. libr. I. cap. 4. si primum, inquit, exquisite aduentum pro principio morbi totius statuere oportet, IN DIVISIBILE erit atque SINE TEMPORE. Ibid. cap. 19. affirmat, illud consistere in primo insultu, qui SIMPLEX sit et LATITUDINE CAREAT. confer. quoque van SWIETEN Commentar. Toin. II. §. 590. qui AETII locum, huc spectantem, excitat. Quod caeterum HIPPOCRATES illud neglexerit, vel ex GALENI scriptis patere potest. Manifesto enim (de morbor. tempor. cap. 2.) docet, omnes propemodum medicos, qui ARCHIGENEM praecesserint, initium quoddam enīisque morbi dixisse, non primum illum simplicem dunractat insultum, sed temporis longitudinem latitudinemque notata dignam aliquando ipsi adseruisse. Neque minus (de tot. morb. temp. cap. 2.) multa alia, inquit, partim HIPPOCRATES, parvū alii medici omnes veteres memoriae prodiderunt, quibus non primae accessionis imperum (eum antea nominauerat primum tempus accessionis prima), sed longum magis tempus principium esse nobis persuadent, nempe quo sanguinem detrahere et clystere vti possimus etc. Quod caeterum, quae sequuntur, morborum principia indivisiibile illud complectantur, nemo non videt. Hinc GALENVS febris, inquit, ubi principium illud sine latitudine fecit etc. (de cris. I. c. cap. 7.).

(29) GALENVS I. m. c. cap. 6. 7. 8. 18. 19. Quae itaque phaenomena die primo, secundo, tertio, quartoue comparent, in principio (circa initia) accidisse

possimus, quod temporis quidem, sed non morbi vicissitudinibus notabilioribus responderet (30). Superest itaque tertium, quod VERVM vocabimus (der erste Zeitraum einer Krankheit), cum id morbi nos vicissitudines docet (31).

§. VII.

HIPPOCRATIS, GALENI, AETII, aliorumque medicorum
ea de re iudicia.

Cuius autem, ut finem desinamus, oportet nos ad augmenti initium respicere. Non habetur enim exquisita principii cognitio, antequam incipiat adscensus (32). Dixit HIPPOCRATES (33): ad dignoscenda morborum principia, considerandum, an confessim efflorescant. Quod ex incremento manifestum fieri.

B. 3

cidisse dicuntur. GALENV^S vero, quando illud huius principio tempus constituit, non solum, ut ipse (l. c. cap. 8.) fatetur, HIPPOCRATEM sequitur, qui, famosam illam, quam immortalis senis nomine dignati sunt faciem delineans (Praenotion. p. m. 36. 37.), primo dicit: si per INITIA morbi talis facies fuerit, dein vero subiungit: si vero VETUSTIORE iam morbo, aut TRIDVO, aut QVATRIDVO, talis facies extiterit etc. sed videtur quoque mihi aliam addidisse rationem. Postquam enim (cap. 7.) notauerat, principium illud morbi in primo eius accessione contineri, monet, secundam accessionem in laterali morbo plurimum terro fieri. Atque eius indolis morbi acuti dantur plures. Forte non inutiles labor esset, si quis sententiam GALENI aegrotorum historias, ab HIPPOCRATE consignatis, ubi principium illud toties occurrit, comparare veller. Quo vero oportet me supersedere.

(30) Neglexit id quoque GALENV^S (l. c. cap. 8.). Alias vero quam utilissime spectatur, ob conditions ac mutationes seilicet, quae, eo labente, adesse et accidere possunt, quae sane prognosin et diagnosin illuminant, medelam dirigunt, atque cognoscendi differentiis morborum accidentalibus inferunt. Ideo toties eius meminit HIPPOCRATES.

(31) GALENV^S II. cc.

(32) GALENV^S de crif. libr. I. cap. 9.

(33) Epidem. libr. II. pag. m. 998. Aphorism. I. 12. CELSV^S 1. e.

Incrementa autem ex ipsis morborum circuitibus et ambitibus. Ex quibus iudicaciones etiam ipsae cognoscuntur, atque ex accessionum (quae in circuitibus sunt) inter se commissione, numeraturius, aut diutius, aut magis affligant, nec ne. Eadem plane notauit GALENVS. Numquid morbus, inquit, augeatur, non ex eo tantum conjecturari oportet, quod accessiones antecedunt, sed etiam earum longitudinem oportet annotare et magnitudinem quoque ac morem (34). GALENVS tamen in toto fere, quem de crisiſibus conscripsit, libro primo, id agit, ut ostendere studeat, proprium uniuscuiusque morbi principium coctionis signis determinari, sic, ut tunc primum finiatur, quando coctionis signa apparuerunt, eamque doctrinam quam optime his, quae docuit HIPPOCRATES, respondere (35). Sollicite itaque coctionis signa, quae sputa, excrementatione aluina et virina manifestant, describit (36); monet tamen, principii finem manifestiora coctionis signa expetere (37). Comparat id alio loco generationis temporis in animantibus (38), passimque exempla, ut suam confirmet et illustrer sententiam, adducit (39). Memor etiam morborum, qui vires elidunt, morbi, inquit, tempora tunc partim simili modo cum praeditis sumuntur, partim dissimili, siquidem initium similiter in morbi generatione constituitur, ascensus non in concoquendo, sicut in iis, qui superstites futuri sunt, sed in cruditatis letalibus que signis consistunt (40). Tumorum denique, qui lentius generantur, augmentum eo videtur tempore constituere, quo facti in crescunt (41). Atque haec de principio augmentatione totius morbi;

(34) de crisiſib. libr. I. cap. 3.

(35) l. c. cap. 8.

(36) l. c. cap. 5. 9.

(37) l. c. cap. 5. 7. II. 12.

(38) l. c. cap. 17.

(39) de morbor. tempor. cap. 1. de tot. morb. temp. cap. 1. et plur. locis.

(40) de tot. morb. temp. cap. 3.

(41) l. m. c. cap. 8.

quae latere quandoque et breuissima esse, largitur (42). Quod vero ad accessionum febris initia et adscensus spectat: ea tertianæ maxime exemplo illustrat, censetque, principium in frigus febrile, adscensum in successuum caloris febrilis augmentum cadere (43). AETII locum afferit V. SWIETEN (44), e quo patet, FLLVM principium augmentumque morbi exacerbationum qualitate et concomitantium symptomatum aut lenitate, aut augmento cognoscitur. Quod restat demum celeberr. V. SWIETEN initium, inquit, febris vocari poterit primum illud tempus, quo actiones laesae apparent quidem, neque tamen nondum subito inscrescent vel augmentant numero molestia symptomata; ut aliquando in continuis febribus obseruantur, quod primis diebus aegri fere in eodem statu maneant. Auctis deinceps actionum laesionibus, et maiore cum velocitate ascendente morbo, posset vocari illud tempus morbi incrementum (45).

§. VIII.

Definitur morbi principium.

Prudentiores itaque, quotquot sunt, medici principium morbi id esse tempus iudicant, quod, ab ingressu phaenomenorum definiti morbi essentialium (§. IV. V.), ad proximam usque notabilem eius vicissitudinem (§. VII.), praeterlabitur. Eam vicissitudinem oportet ita esse comparatam, ut nouum morbi statum nouam phaenomenorum seriem producat. Quaenam ergo eo referri possunt? Morbi phaenomenis cum assidentibus (mox apparentibus, synedreuontis), tum accidentibus (superuenientibus, epigenomenis, epiphænomenis) stipantur (46). Vtraque definiendis morborum principiis inseruiunt. Atque illa quidem quando-

(42) l. m. c. cap. 6.

(43) de crif. libr. I. cap. 3. de tot. morb. temp. cap. 5. 6.

(44) de morb. tempor. cap. 4. §.

(45) l. c.

(46) l. c.

longe, quam antea, magis eminent, siue magnitudinem eorum, siue diurnitatem species, morbi augmentum produnt. Etenim **G A L E N V S**, licet multum videatur ab aliis, qui, quod assentimus, manifesto probant, recedere, non dubitat tamen de adscensus praesentia, quando poroxysmi anticipant, protrahuntur, exacerbantur (§. VII.). Neque negat, ut §. cit. perspeximus, cruditatis augmenta, in morbis peioribus, adscensum indicare. Signa vero cruditatis assidentia sunt. Denique, tempora inflammationis describens (47), in maiore partium distensione eius augmentum ponit. Sed distensionem partis inflammatae synedreuontis adnumerare nos oportet. Quae vero licet ita sint, epiphænomena tamen non miuus spectanda veniunt. Vrget id aperte **G A L E N V S**, qui non solum ad coctionem, sed ad superuenientia quoque morbi phænomena nos attendere iubet (48). Neque certe aut **H I P P O C R A T I S**, aut **A E T I I** sententia illi assertio repugnat (§. anteced.). Ut itaque **P R I N C I P I V M M O R B I** tempus illud dicendum sit, quod, cum morbi ingressu incipiens, eo momento in adscensus degenerat tempus, quo morbi phænomena aut assidentia notabili in gradu exacerbantur, aut epigenomina memorabilia accidunt.

§. IX.

G A L E N I sententia (§. VII.) ad examen reuocatur.

Non obscure celeberr. v. SWETEN eam, quam dixi §. VII. **G A L E N I** sententiam, falsitatis arguere mihi quidem videtur. Patet enim, inquit (49), quod morbi principium latius extenderit **G A L E N V S**, quam bodie plerumque fieri solet; nam ex EIUS doctrina principium morbi notabilem etiam partem comprehendenter illius temporis, quod NON ABSQVE RATIONE incre-

(47) **G A L E N V S** de crif. libr. I. cap. 5.

(48) de rot. morb. temp. cap. 3.

(49) de crif. I. m. c. et cap. 3. 4.

incrementum morbi, vel aseensus bode vocatur. Atque sic iudicat vir celeberrimus, non satis bene a GALENO actum esse, quando manifesta coctionis signa exspectat, antequam principii finem adesse enunciet. Crederem tamen, manes GALENI defendi posse. Meminisse autem nos oportet, GALENUM ad febres maxime acutas hic respicere, in quas cruditas, nemine id facile reprobante, cadit; et cum negasse minime, morborum cum initia, tum augmenta, ex circuituum symptomatumque ratione, definiri posse; manifesta denique coctionis signa, quae, ex EIVS doctrina, morbi initia ab augmenti tempore separant, non excludere omnem morbi cruditatem, sufficit enim ipsi, manifesta *incipientis* coctionis signa notare. Quibus ita constitutis, non absonta mihi GALENI sententia videtur, neque multum ab aliorum placitis recedere. Coctio naturae est opus, quod vires humani corporis praestare adiuntur. Robusta itaque natura, irritata a materia cruda, fortius agere incipit; soluit, attenuat, mutat, commiscet crudum; coctionem perficit. Quare fieri aliter non potest, quin coctionis initia in augmentum morborum cadant (§o). Nonne itaque GALENI sententia aliorum placitis respondet? Debilis contra ea, quacumque ex caussa, natura ferendo oneri impar est; superatur vi morbi; augetur cruditas; incrementum phaenomena; adiunguntur plura; morbi sit augmentum (§. ant.). Nonne itaque recte GALENS dixit (§. VII.), tempus augmenti, in morbo peiore et lethali, ex cruditate cognosci signisque lethaliibus? Plura possent pro GALENO dici; sed sufficiat ea adduxisse, quae nemo facile inficias ibit. Addere tamen non incongruum erit,

(§o) Si quis dicere velleret, coctionem in augmenta quidem morborum incidere, posse tamen haec adesse, licet nulla iam manifesta coctionis signa conspiciantur, cum morbus, in adscensu constitutus, spasim stipetur, qui coctionis signa, in excretis alias aduentanda, impedire possent: is certe non attenderet, spasmos, in his casibus, cruditati et coctioni respondere.

erit, GALENI sententiam manifesto eo vergere, quo diximus. De augmento enim inflammationis differens, haec habet: *Cum autem influxus cessuerit, et quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefaci inceperit, calor quidem ob putredinem nascitur, et fusio magis propter calorem, unde etiam spiritus gerantur, atque ob haec ambo particulae magis, quam antea distenditur, etiam si nihil infusat: secundum hoc tempus est inflammationis augmenti (51).* Constat ex his, GALENUM coctionem incipientem et symptomatum morbi augmentum considerasse sic, ut sint inter se arctissime connexa.

§. X.

Anamnesis finiti, diagnosis praesentis, praenotio finituri principii.

Quibus praelibatis cognoscitur, signa finiti principii esse:
 10. magnitudo, diuturnitas paroxysmorum; 20. coctionis manifesta signa; 30. signa cruditatis magna lethalis, morbo tamen nondum consistente (cf. § XII. seq.); 40. morborum, qui tres magnitudinis gradus recipiunt, gradus secundus, suis ex signis cognitus (52); 50. phaenomenon quodvis, notabilem nouamque mutationum morbi seriem inferens (53). Quamobrem paroxysmi, nondum vigente morbo, in eodem statu permanentes; signa cruditatis non lethalis; primus morborum quorundam gradus; absentia phaenomeni notatu dignissimi in morbo, qui nondum ascendit, *principium morbi produnt.* Nonne ideo latebit id quandoque? Omnino, id iam monente GALENO (§. VII.). Neque tamen detrimentum inde, quod magni sit momenti,

pit

(51) de sor. morb. tempor. cap. 3.

(52) Huc lues venerea, febris lenta, scorbutus aliquae compositi morbi referantur.

(53) Eo signo utilissime vi possumus in cognoscendis morborum chronicorum augmentis, si forte incidat, ut et non nescire re nostra sit atque dubia haereamus. Nouimus enim, eiusmodi quandoque morbos diu, sine eminenti-

ti

pit ars medica (54). Ipse denique morbus, natura aegri, accidentia, anni tempestas, accessionum ratio finituri principii prænotionem suppeditant (55).

§. XI.

Confectaria.

Non datur morbus, qui principio sit destitutus (56). Fieri non potest, ut morbi diuersae durationis, principia, iisdem temporis limitibus circumscripta, nanciscantur (57). Quanto morbi sunt acutiores, tanto principia breuiore temporis interuallo percurrent (58), nisi forte, vel ob id ipsum, quod principium nimis extenditur, alii sint acutiores, quarumdam variolarum exemplo. Optima crisis numquam in principia morborum cadere potest (59). Neque aegri in principiis morborum moriuntur (60). Quo morbus acutus celerius principii tempus superat: eo erit crisis propior, eo

C 2

fa-

ti functionum laesione, ferri. Nonne ergo, si dubia res sit, eo possemus tempore augmenta morbi constitutre, quo grauius, quo manifestius vitam sanitatemque hominis impugnare? Confer. CELSVS I. C.

(54) Quando enim principia morborum latent, id eugenit ideo, quod celerime morbus ad adscensum statuimus properat, uti synochus (GALENVS de rot. morb. temp. cap. 5.). Verum in tanta morbi festinatione inutilis quoque est principiū notitia.

(55) HIPPOCRATES Aphorism. I. 12. GALENVS de crīsb. libr. I. cap. 4 seqq. et cap. 19. libr. III. cap. 5.

(56) GALENVS de crīsb. libr. I. cap. 17.

(57) IDEM I. m. c. cap. 2. 4.

(58) IDEM I. c.

(59) HIPPOCRATES Epid. libr. II. p. m. 998. GALENVS I. c. cap. 7. 8.

HIPPOCRATES Aphorism. II. 30.

(60) GALENVS de rot. morb. temp. cap. I. Arque tamen GALENVS (de crīsb. libr. III. cap. 6.) concedit, mori quandoque aegros in morborum principiis. Nam mors, inquit, in tribus fit temporibus, principio, augmendo et statu.

facilius sanescet aeger, aut morietur (61). Initium itaque euentum, longitudinem morbi, crisi praesagit (62). Qui in principio constituti sunt acuti morbi, pleniorem victimum ferunt, postulant (63). Conferunt, quae crudo aduersantur, remedia in principiis acutorum, damnantur euacuantia, nisi turget muteria (64).

§. XII.

Augmenti et vigoris tempus.

De augmenti initio diximus; eius finem vigoris initium definit. HIPPOCRATES non obscure indicat, statum vehementissimum esse morbi tempus (65). GALENVS, suae doctrinae tenax eum sic considerat, ut cum paroxysmorum et symptomatum, tum coctionis et cruditatis rationem habeat. Cum, inquit, que ad accessiones duas pertinent, aequalia fuerint, morbum in vigore consistere demonstrant (66). Et deinde contingit autem nonnumquam duas accessiones, ubi maxime factae fuerint in unum aequales, STATUS tempus circumscribere: nonnumquam vero unam omnibus aliis praecedentibus reliquisque sequentibus esse maiorem. Ad tres autem extendit accessiones status tempus in morbis acutis non admodum accedit; in diuturnis vero non modo ad totidem, sed longe plurimas (67). Vigorem morbi alias cum adulata animalium aetate comparat, qua praesente animalia pari labore, per aliquot annos, consistant (68). Synochum ideo longum

sta-

(61) GALENVS de crisiſb. libr. III. cap. 5.

(62) HIPPOCRATES Aphorism. I. 7. 10.

(63) IDEM l. c. 22. GALENVS l. c. libr. I. cap. 9. libr. quos purgare conne-

nunt, quibus medic, et quo temp, cap. 5. commentator, in Aphorism. HIP-

POCK cit. et IV. 10. GLASS de febrib. comment. 7. pag. 69 seqq.

(64) Aphorism. II. 30.

(65) de crisiſb. libr. I. cap. 3.

(66) l. m. c. cap. 10.

(67) de tor. morbor. tempor. cap. 5.

(68) de crisiſb. libr. III. cap. 4.

statum nominat (69), quod tribus, quatuorue horis ab initio ad perfectissimum vigorem perueniat, inde prorsus aequalis sibi permanens continuo ad iudicium properet (70). Inflammationis vigorem describens (71), dum, inquit, *in pus iam vertitur, maximi dolores tunc partem apprehendunt; nam in puris generatione dolores febrisque magis, quam prius, infestant, vocatur autem huiusmodi tempus VIGOR AFFECTIONIS.* Et dein: *vbi concoqui coeperint, initium finiri, secundum autem tempus, quod adscensum nominant, accedere, at, cum ipsa concoctio maxime conficitur, VIGOR.* Denique lethalium morborum vigorem considerat (72). *In huiusmodi, inquit, morbis vigorem similiter cum eo, qui salubrium est, determinare non licet, nam illic maxima accessiones statum deflunt, hic non maxima aequa determinant: quippe cum morbus omnino non concoquatur.* Verum intellectu maximum capere oportet, ad quod alias morbus pertinet, alias protinus occidit. *In inflammatione, quae finitur, puris generatio vigoris terminus est; in ea vero, quae non finitur, homo etiam in eius adscensu mori potest: et vires validissimae usque ad extremam magnitudinem sufficere.* Huius etenim inflammationis, quando non soluitur, immensa magnitudo vel in gangraenam, vel in putredinem terminatur. AETIUS tandem, vigorem definiens, VIGOR, inquit, *vehementissima zotius morbi pars est (73).*

§. XIII.

(69) *de sot. morb. temp. l. m. c.*

(70) *l. m. c. cap. 3.*

(71) *l. m. c. cap. 7.*

(72) van SWieten l. c.

(73) Cui definitioni apprime respondent, quae GALENVS edixit (§. XII.).

Status, ex ELVIS intentia, accessionum sibi et symptomatum aequalitatem vindicat. *Vehementissimum autem morbi tempus nullius inaequalitatis capax est.* Vigorem dein dixit illud morbi tempus, quo maxime concoctio perficitur. Atque verissimum est, quod in morbis non lethalibus,

quos

§. XIII.

Augmentum et vigor quid?

Vehementissimum itaque totius morbi tempus, vocatur **VI^GOR seu ST^AT^VS M^OR^BI** (74). Quod vero tempus hunc et initium interfluit, dicitur **INCREM^ENT^VM, ADSCENS^VS, AVGMENT^VM M^OR^BI**.

§. XIV.

quos aut excitat, aut sustentat cruditas, costio, vi intensissimi motus, perficiatur. Morbis denique, in lethum abeuntibus, duplicitis indolis vigorem tribuit (§. cit.). Manifesto enim in morbis, qui finiuntur, inquit, maximaes accessiones statum definiunt; in *lethalibus* non maximae aequae determinant, rationem addens: quippe cum morbus omnino non concognatur. Quid his sibi **GALENVS** verbis velit? non facile intelligitur. Forte his indicare vult, istos morbos, cum non concognantur, hominem certius quandoque ob cruditatem vehementiam, occidere, quam possint accessiones maximae fieri, quales alias vi morbi, generatim spectati, factae fuissent, si modo aegri vires ferendo oneri diutius pares fuissent; tunc itaque morbi quidem hominem in morbi s.v.i., minime autem morbi, generatim considerati, vehementissimo tempore. Quia admissa explicatione, **GALENVS** morbis *lethalibus* duos quam verisime dedidit status; *unum* morbis *lethalibus* et non *lethalibus* communem, aegro scilicet ad vehementissimum usque morbi tempus viuente; *alterum* foliis *lethalibus* subtendum, **ANTE** vigorem quidem morbi, **GENERATIM SPECTATI**, **IN** vigore autem eiusdem morbi, sed **IN AEGRO SPECTATI**, necantibus. Illustrabit haec exemplum. Mortiatur variolosis, in medio suppurationis tempore: morietur **IS IN STATV VARIOLOSI M^OR^BI**; si quis vero moriatur tempore aut eruptionis, aut conragii: de eo sane dicere non possumus, cum **IN STATV VARIOLO^RV M^OR^BI** mortuum esse, siquidem hic in suppurationis tempus cadit: certo tamen certius **IN EIVS, QVO LABORABAT, M^OR^BI VARIOLOSI STATV** moriatus est, cum, quo morbus tempore mortem aegro inferat, omnium eum vehementissimum esse oportet. Verissima itaque dixit **GALENVS**. Forte etiam, quae sequuntur, verba aliam omnem explicationem renunt. Dixit enim: verum intellectu maximum capere oportet, **ad quod alias m^or^bis peruerit, alias protinus occidit** (§. ant.). Caeterum ex loco, §. ant. excitato, simul intelligitur, **GALENVM** *lethalium* morborum vigorem in cruditate etiam posuisse, illi perfectissimae coctioni, quae alias, in morbo scilicet non lethali, hoc tempore expectanda fuisset, e diametro opposita. Exemplum inflammationis, quo virtus, id aperte docet. Neque id prius dictis repugnat, cum vehementissimus morbus omnino possit summan cruditatem producere, sicuti intensissima inflammatio in gangraenam sphacelumque degenerat.

(74) **HIPPOCRATES Aphorismi, I. 12.** **GALENVS** II. cc. passim,

§. XIV.

Confectaria.

Quicunque morbus suo cum augmento, tum statu gaudet (75). Perfectae crises unice possunt in statum aut tempus ipsi proximum cadere; quae augmenti tempore incident, infidae sunt, imperfectae, dubiae (76). Morbi longi tardius acutis diutiusque in crescunt ac vigent (77). Quanto etiam morbus ex sua natura celerius procedit, tanto citius ascendit vigetque, tantoque breuiore tempore augmenti sui ac vigoris tempus absolvit (78). Neque tamen acutiores aliis ista semper tempora breuiora nanciscuntur, variolarum anomalae indolis exemplo (79). Principii constitutio augmenti statusque rationem et tempus definit (80). In statu acutorum tenuissimo vietu ut nos oportet (81). Cauendum quoque, ne, acutomorbo vigente, molimina naturae turbentur (82). Qui moriuntur aegri, in eius, quo derinentur, morbi statu perirent, licet in morbi, generatum spectati, principio, augmento atque statu fatis cedere queant (83).

§. XV.

Signa augmenti et status.

Signa tam praesentis, quam futuri augmenti leguntur §. X. at finitum id esse, edocent vigoris signa, quae sunt 1°. aequalitas accessionum vehementium et diutius protractarum; 2°.

(75) Augmentum viciniecumque morbo tribuit **GALENVS**, his tamen exceptis morbis, quorum principia necant (cf. n. 60). Qui etiam morbi, nec in principiis suis, nec augmentis occidunt, omnes, ex eius doctrina, ad statum pertinuerint. Confer. n. 73.

(76) **GALENVS de crisi**, libr. I. cap. 10. 20. libr. III. cap. 5. 6. 10. et passim.

(77) IDEM I. c. libr. I. cap. 10. 17.

(78) IDEM I. c. cap. 4. **HIPPONCRATES Aphorism.** I. 7.

(79) **SYDENHAM oper. omni.** Tom. I. pag. 145.

(80) **GALENVS** I. c. cap. 4. 19.

(81) **HIPPONCRATES Aphorism.** I. 8.

(82) **HIPPONCRATES** I. c. II. 29.

(83) confer. not. 73. 60.

phaenomenon morbi praecipum et diurnum, sibi, sua in vehementia, aequale; sicuti calor in synocho; 3^o. crisis cum signis perfectissimae coctionis; 4^o. cruditas, summa vi morbi enata; 5^o. tertius quorundam morborum gradus (§. X.). Quandoque tamen, citissime praeterfluens, praesens dignosci nequit, quod monuit iam GALENV S (84). Principii ratio, coctionis cruditatisue signa, dies indices, ea denique, quae sub finem §. X. dicta sunt, vigorem praedicunt (85). Signa tandem praesentis status elapsa et decrementum morbi, superatum eum esse ostendunt.

§. XVI.

Decrementi tempus.

Vigor morbi *vel* lethum infert, *vel* morbi vim frangit (86). Superatum itaque morbi vigorem, remissio eius finisque sequantur necesse est. Tempus magis magisque remittentis, post vigorem, morbi vocatur **DECREMENTUM MORBI**. Quare morbi omnes, si modo ab his, qui occidunt, recesseris, decrementi tempore gaudent. Eius signa definitio et §§. IV. V. X. XV. suppeditant. Nemo hoc tempore, vi decrecentis morbi superatus, moritur (87), illudque, quod ad magnitudinem eius spectat, vigoris crisiisque rationi respondet. Quandoque adeo est breuis, ambitus, ut sensibus usurpari nequeat (88). Fieri non potest, vt, decrecente iam morbo, crisis nascatur (89), licet extensa eum contumaciter soleat. Ne ergo haec victu, regimine, medicamentis turbetur, arque virtus aegri labefactata magis laedatur, cauendum.

§. XVII.

Nascentis morbi tempus.

Supereft, vt quae pertinent ad ZEVIANI doctrinam (§. II.) adiiciam. Toti morbo duo quidem tempora tribuir, quorum

(84) *de crifib.* libr. I. cap. 3.

(85) GALENV S ll. cc.

(86) GALENV S *de crifib.* libr. III. cap. 5. 6.

(87) GALENV S l. m. c. cap. 5.

(88) IDEM *de tor. morb. temp.* cap. I.

(89) GALENV S *de crifib.* l. m. c. cap. 5.

rum *vnum tempore*, quo, ab admissa caussa morbus nascitur,
 computat, *alterum* autem id nominat, quod, ingrediente morbo,
 incipit, atque, eo soluto, finitur. Illud ideo **NASCENTIS MOR-
 BI TEMPUS** dicere mallem. Quod vero maximum est, tanti
 id tempus momenti esse **ZEVIANI** censet, vt, quod magis, in for-
 manda morborum prognosi, attendi mereatur, inueniatur nul-
 lum. Quot enim id dies, menses, annos compleat, tot quo-
 que, ex **EIVS** sententia, complebit morbus. Neque tamen haec
 aut omnibus morbis accommodat, aut sine limitibus edixit, paulo
 interea, quam optarem, magis quatuor ista, quae tractauim-
 us, totius morbi tempora despiciens. De quibus omnibus,
 suas ad rationes reuocatis, non difficile erit, iudicium ferre.
 Negari nequit, accidere quandoque, vt nascentis morbi tempus
 illi alteri, quod morbus ipse compleat, ad amissum respondeat;
 neque inficias ire possumus, habere ea tempora quandam ad se in-
 uicem rationem, cum toties vel ideo morbus obserueretur chronicus,
 quod lentius eius generatio processit, causa interea altiores radi-
 ces agente. Numquam tamen eo me adigi patiar, vt **ZEVIANI**
 partibus faueam, cum obseruatio, ad cuius demum edicta omnia
 redeunt, quotidie viri clariss. sententiam refellit. Scio quidem,
 adeo **EVM** arctis limitibus **SVAM** doctrinam circumscripsisse, vt
 ipsi, pro re nata, liceat, quemlibet illi aduersum casum declina-
 re. Cum tamen **I P S E** fateatur, illis conditionibus non obstanti-
 bus, rarissime accidere, vt exceptione opus habeat, quam
 condidit, regula: oportet sene **EVM** concedere, ad morborum
 longe maximum numerum **SVAM** posse doctrinam applicari.
 Neque vero, in nostris regionibus, eius veritatem confirmatum
 videmus; neque crederem, tanti Italiana a nostra Germania dif-
 ferre, vt ea inde obiectio dilui queat. Praeterea nec rationi ista
 doctrina consentanea est, cum tempus, per quod durant mutationes,
 non semper respondeat illi, quo antea, ad eas producen-
 das, opus erat. Denique, quando id antiquis virtio vertit vir clari-
 ss. quod, illud non attendentes tempus, optimum praedictionum
 fontem neglexerint: nec difficultatum, quibus **SVA** doctrina pre-
 mitur, nec temporum, quae considerabant veteres, naturae satis
 mihi, nimium, in re noua, cuius extitit auctor, **SIBI** placens,
 meminisse videtur.

D

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

IO. PET. EBERHARD.

*N*on excidi spe, quam de te conceperam, praefantissime BEICKARDT. Singularis tua diligentia, laudabilis in addiscendis omnibus Medicinae partibus assiduitas, et morum integritas, fecerunt, ut semper sperauerim, talem te futurum, quam te hodie nobis sistis. Diligentissimus fuisti in praelectionibus Illustrium Virorum, qui nostram ornant Academiam, auditor. Et non absque insigni animi voluptate assiduitatem tuam in physicis, mathematicis et physiologicis meis scholis perspexi. Accipe itaque iam merita diligentiae et acquisita eruditionis praemia, Gradum nempe Doctoris, et summos in Medicina honores. Gratulor tibi hos honores ex animo, optoque ut iisdem quam diutissime in multorum aegrorum salutem, et reipublicae emolumentum utaris. Vale, amicissime BEICKARDT et me quod facis ama. Dab. in Reg. Frid. d. 20 Dec. 1771,

VIRO

VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
JOANNI CHRISTIANO BEICKARDT
 SVMMIS IN SCIENTIA SALVTARI HONORIEVS
 CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

IOANNES CHRISTOPHORVS NIEMANN. M. C.
 DESSAVIA-ANHALTINVS.

Gratissimum mihi est dissentientis munus, quod benevolo in me collare voluisti. Datur mihi hoc modo exoptatissima occasio, ILLVSTRE PRAESIDI TVO, communi nostro optimo praeceptorovi, sub cuius praefidio ante aliquot tempus prima vice dubia mihi proferre licuit, animum meum gratissimum et deditissimum declarandi; datur mihi etiam occasio, TIBI, hoc festo TVO die, quo lauream doctoralem, dignum hosce diligentiae TVAE praemium, reportas, fausta quaesuis atque prospera publice adprendi. Lubenter itaque TECVM in arenam descendo, proferam dubia quaedam, non eo animo, ac si re vera de tis dubitarem, quae in dissertatione TVA proposuisti, sed ut TIBI occasionem dem, quae ea, quae pro insigni TVA doctrina, doce conserpisti, adhuc vberius explicares. Inde se fave TVAE diligentiae et alacritatis, qua salutari scientiae operam nauasti, per aliquot tempus comes et spectator fui, et assiduitatem TVAM admiratus sum. Cum haec TVA singularis diligentia, insignibus insuper ingenii dotibus adiuta fuerit, quid mirum, TE, tam eximios in scientia nostra fecisse progressus. Quantum autem proficeris, hoc doceat praeferunt dissertatione TVA, qua hanc vulgare doctrinæ TVAE spe.imen exhibuisti. Gratulor PAT. I TVO OPTIMO de filio doctissimo, et imprimis illis gratulor, qui I VM auxilium implorabunt, de praetaro medico. Sis semper felix in exercitio artis, et SVMVM NVMEN benigne adsit conanimbus TVIS. Mei memoriam TIBI habeas commendatam. Vale. Dab. in Regia Fridericiana D. XX. Decemb. CIOCCCLXXI.

D 2

VIRO

V I T R O
 PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
IOANNI CHRISTIANO BEICKARDT
 SVMGORVM IN MEDICINA HONORVM
 C A N D I D A T O D I G N I S S I M O
 AMICO SVO E PAVCIS DILECTISSIMO
 PETRVS FRIDERICVS MATTHISSON
THEOL. CAND.

Cum nihil mihi, ex quo te noui, noui autem te ex eo tempore,
 quo noster Wegnerus discessit, exoptatius contingere potest, quam meam
 in te amicitiam, quae quidem summa est et integerrima, declarari saepius;
 tum haec in primis occasio mihi accedit iucundissima, qua tibi significare
 amorem meum publice possum. Itaque gratulor tibi, atque ex animo
 gratulor hunc diem, qui festus et honorificus tibi illuxit, tibi, his,
 quibus angeris, honoribus viro dignissimo. Praeclaro, quo gaudeas, ingenio,
 non solum summam semper affiditatem in litterarum studiis, verum morum
 etiam elegantiam auxisti amabilem. Quibus ex causis te vehementer amavi
 atque, credas, in posterum amabo, inimico magis, si unquam meo in te
 amori accedere aliquid potest, amabo; hoc unicum rogans, ut et illam
 amicitiam, qua me adhuc amplexus es, mihi per omnem vitam conseruer.
 Valeas et quaecunque agis, agas feliciter. Dab. Halae d. XX. Decembr.
 MDCCLXXI.

P. 266.

X2338867



S M O R B E
O R I D V S

DECRETO
CVLTATIS MEDICAE
FRIDERICIANA

A E S T D E
RISTLIEB KEMME

COF. PVBL. ORDIN.
NATVR. CVRIOS. SODALI

D V D O C T O R I S *

E OBTINENDO

C. C I C I C L X X I .

D I S P V T A B T T

C T O R

I A N B E I C K A R D T

S. MAGDEBURG.

I A L A E

S H E N D E L I A N I S .

8